



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Cognitio sui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Providentiæ Numinis insigniter cordi esse; fluctuare illum quidem nonnunquam ingruentibus calamitatibus publicis, mergi tamen atque dispergi minimè posse, Deo vires emergendi sufficiente, illumque quasi manu supposita fulciente. Talis fuit Deucalion & Pyrrha, de quibus Poëta.

Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit, aut illa reverentior ulla Deorum.

Et :

Jupiter ut liquidis stagnare paludibus orbem
Et superesse videt, de tot modò millibus unum,
Et superesse videt, de tot modò millibus unam,
Innocuos ambos, cultores numinis ambos.

Nimirum carebant omni vitio, & Deos sincerè colebant ambo. Ubi advertit, conjungi religionem cum innocentia, quæ sine illa constare non potest. Quem enim irreligiosum vidisti unquam benè moratum ac probum? Qui Deum non timet, homines timebit, & ab injuria inferenda temperabit? nequam.

II. (b) Hinc doceris Tellurem, communem omnium parentem, nemini erubescendam esse. Atque hoc est, quod Ethici *Cognitionem sui* vocant. E terra genus ducit nobilis perinde ac ignobilis. Etsi videaris cælum pulsare vertice, memineris tamen te terræ filium esse. Ad rem facit, quod narrat Livius lib. 1. Tarquinius Sexti Tarquinij Romanorum regis filios, Delphos esse profectos: consulentibus quis eorum regnaturus esset Romæ, oraculo vocem redditam, imperium summum habiturum, qui primus osculum tulerit matri. Responsum ipsis aliter interpretantibus, Junium Brutum, quem ludibrium veriùs, quàm comitem (scitè enim stultitiam simularat) secum duxerant, veluti si prolapsus cecidisset, terram osculo contigisse. Factum eventum rei probatum est; nam cum impotenter se gerendo Tarquinius cognomento *superbus*, omnium in se odium concitasset, Bruti maximè operâ, Româ expulsum est, & ab eo initium Romæ libertatis factum.

III. (c) Rudes mortales, & religionis, cultusque deorum ignari cum à Deucalione & Pyrrha ad virtutem ac pietatem informarentur, dicti sunt è lapidibus orti, atque in homines conversi. Nam quid aliud est homo iners, incultus, rudis, impolitus, indoctus, agrestis, rerum divinarum, bonarumque artium expertus, quàm lapis quidam, & inutile terræ pondus? Id Aristippus, insignis philosophus ostendit, quando interrogatus à quodam, quid boni filio suo allatura esset eruditio, respondit: si nihil aliud, hoc certè, quòd in theatro lapis in lapide non sedebit.

(b) *Cognitio sui.* (c) *Homo lapis quis?*

IV.